

NUMMVS MEMORIÆ DICATVS

FERDINANDI ROMANORVM RE-

gis: Transylvaniâ ex pacto receptâ: cufus,

Anno Christi 1558. aut

circiter:



Ohannes de Zepolia Vayvoda Transylvaniæ, Comes Sepusienſis, poſt Ludovici II. Regis Ungariæ interitum, Anno Chriſti 1526. à quibusdam factioſis Proceribus Rex designatus, contra Ferdinandum Budam occupat: ſed à Nicolao Comite Salmenſi obſeſſus, civitatem & arcem deſerere cogitur: victus tandem per Johannem Catzianerum in Poloniam fugit. Deinde contra vim Ferdinandi Regis in tutelam ſe dat Solymanni Turcici: operâ Hiero-

nymi à Laſco, viri Nobilis: unde Ilias malorum in Ungaria naſcitur. Turca enim poſt infelicem obſidionem Viennensem, Johannem hunc, Budâ occupatâ, Regem conſtituit: qui regnum etiam uſque ad mortem poſſedit. Uxor Iſabella Sigismundi Regis Poloniæ filia, marito mortuo, in Vngariam denuo Solymannum Turcicum accerſit, quo tutior cum filio eſſet: Budam attamen deſerere cum puero coacta, in Transylvaniam ablegatur. Sed ne ſiquidem rebus ſuis proſpectum videns, Transylvaniam Regi Ferdinando offert, certis conditionibus occupandam: quas cum ipſe non reſpueret, iterum tamen atque iterum à muliere, fractâ fide, deciperetur, injuriam hanc ulturus, militem in Vngariam duxit, aliquot vicibus: donec tandem conſentiente filio, pactis conventis Iſabella ſteterat. *Quemadmodum itaque*

Trajanus